

DISC. Quā similitudine hoc in loco usi sunt?

RAIM. Senior philosophus dicit: Hæc res convertit ex colore in cclorem, de sapore in saporem, & ex natura in naturam: ideo multiplicata sunt ejus nomina. Mirerius philosophus dicit: Cur factus est rubeus, antequām foret albus? Respondet, bis fit niger, bis citrinus, & bis rubeus. Quoniam igitur bis fit rubeus ut vinum rubrum, & sanguis humanus, nempe post putrefactionem, & in ipsa distillatione, ideo Antiqui per similitudinem loquentes nominarunt vinum rubrum, sanguinem humanum & similia.

DISC. Crederem animalia plus virium medicinabilium habere, qvum etiam sint quacunque alia re inanimata nobiliora.

RAI. Animalium excellentia non versatur aut existit circa proportionem & commisionem elementorum, sed in anima consistit. Et quia supradicta medicina fit ex substantia corporea & materiali, ideo meliora sunt quædam mineralia, quorum compositio durissima est, & fortior animalibus, quorum compositio quoad corpus, debilis est & facilis corruptionis, paucæq; virtutis. Videmus animalia occupata circa res altas & sublimes, privata esse vilibus & infimis: Ideo mineralia quædam, quæ nullam habent operationem intellectualem aut sensitivam, majorem habent vim corpoream cæteris animalibus.

DISC. Si medicina hæc confici non potest ex vegetabilibus neq; ex animalibus, posset nec celi-